

*communicet.* Verumenimverò etiamsi maximè prior Bezæ versio, ac interpositio admittatur, demonstrandum adhuc erit, *prophetiam & prophetare* hîc non denotare *futurorum prædictionem, & prædicere*, quemadmodum explicat Musculus in hunc locum: sed *interpretationem & interpretari ac analogiam Fidei* hîc designare ipsam *S. Scripturam*: quod non ita facilè factu esse mihi persuadeo. De consequentiâ denique etiam pro variâ Majoris acceptione aliquid dici possit; sed hujus argumenti vim jam fatis infregisse autumo.

Quartum argumentum, *Quicquid omnium luculentissimè & manifestissimè res divinas exponit, indè Scripturæ interpretatio petenda: At Scriptura ipsa omnium luculentissimè, & manifestissimè res divinas exponit: Ergo Scriptura Sacra interpretatur seipsam.* In hunc modum argumentantur Polan. Syntagm. Theolog. lib. 1. cap. 45. quæst. 7. argum. 1. Alsted. Præcognit. Theolog. lib. 2. cap. 95. quorum ille minorem probat, *Quia est vox Dei, quâ nulla potest esse clarior, & manifestior*: hic verò declarat hâc similitudine, *Sicut non opus est, ut Soli lumen aliquis fœneretur: ita nec opus est, ut clarissimæ S. Litterarum luci aliunde lucem importemus.*

Nos verò respondemus sub distinctione: Nam vox *exponere*, vel denotat proponere, declarare, manifestare; vel explicare, & interpretari: deinde per *res divinas* denotantur, vel res ad salutem homini cognitu necessariæ, ipsa Fidei dogmata, vel de iis Sermo. Si igitur *res divinas exponere*, sit tradere ac proponere res ad salutem scitu necessarias, concessâ *minore* negamus *majoris consequentiâ*; Non enim aliquarum Rerum luculentissima manifestissimaque traditio ac tractatio, includit interpretationem sui ipsius, aut libri, qui de iisdem illis rebus agit. Sin verò sit, sermonem de Fidei articulis, seu Scripturam interpretari, quò sensu accipi debent ista vocabula, ut conclusio quæstionem probans indè elici legitimè possit, concessâ *majori*, negamus *minorem*: Suprà enim cap. 11. contrarium ostendimus, nec allata ejus probatio sufficiens est: Quamvis enim concedamus, attamen valde improprie, *S. Scripturam Dei vocem* vocari posse, nullumque librum eâ *clarius ac manifestius de rebus divinis agere*: non indè sequitur, illum *omnium luculentissimè & manifestissimè res divinas exponere*, hoc est, sermonem de Fidei articulis seu Scripturam interpretari: quoniam clara alicujus libri conscriptio non arguit illum esse aliorum, aut sui ipsius interpretem. Probatio igitur solummodò evincit Scripturam esse clarissimam, & manifestissimam Rerum divinarum expositionem, (de quo, quid sentiamus, cap. 11. diximus) non verò sermonis de Fidei articulis interpretem, quod hic unicè quæritur.

Quintum argumentum; *Quia ipsa Scriptura potest sapientem reddere hominem ad salutem, 2 Tim. 3: 15.* Ita rursus argumentantur Pol. & Alst. locc. citt.

Sed